


DEO OPTIMO, MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, decimâ Martii 1729.

M. PETRO MARAIS, Doctore Medico, Præside.

An noxia febricitantibus Ova.

I.


N morbis vel præcavendis vel curandis, quæ medicamentorum habetur, eadem & alimentorum habenda ratio: non quovis ægri medicamento curantur, non quovis nutriuntur alimento. Quod uni prodest affectui,

nocet alteri: promptis aliqui, lentis nonnulli, vehementibus illi pharmacis indigent. Hic tenuem & exquiſitam, ille non mediocrem & robuſtam eſcam deſiderat. Alios juvat, alios lædit valentis materiæ cibus. Tot proprietatum radix eadem quæ morborum; varia nempe ſuccorum indoles, qui ſemel vitiati ſimilibus exaſperantur, caſtigantur contrariis. Hinc febricitantibus non omnia conveniunt, quæ ſuam humoribus reſtituunt craſim, naturam, quæ graſſantis æſtus undique ſiſtunt impetum, quæ inſolentem ſanguinis ſedant tumultum, quæ febriles aliundè componunt ardores ea ipſis conveniunt. Quæ pravam humorum diatheſim efficiunt deteriorem, mittunt in pejus, quæ graſſanti undique viam ſternunt æſtui, quæ cæteros augent incendii febrilis apparatus ea noxia ſunt & abdicanda.

I I.

VEHEMENS & inordinatus ſanguinis motus febris eſt. Hoc motu fugit placidi blanditia ſanguinis, inquieti creſcit aſperitas, perit mollities ſuccorum, naſcitur in corde peregrinus ignis mali ſemina latè diſperſurus. Hinc ſolidorum energia conquaſſari, fluidorum eucraſis inverti; nec quicquam dentis expers rabidæ, furens quoquoverſum diſſilit quidquid in humore tenuiùs, quidquid acriùs, ſerpens omnia pervadit, tentat, rimatur, unde ſit rapacitati materies. Vides? quis furor! omnis luget microcoſmus; ſed id ſi cutim feriat, rigor indè concitatur; ſi pectus, tuſſis; ſi cerebrum, capitis dolor: his accedunt ob ſanguinis incandeſcentiam pulſus celer, ſpiritus difficilis; ob macerata calore viſcera linguæ ſiccitas, multa ſitis, pertinax vigilia.

III.

DIVERSIS at ille modis furor ingruit, vel enim assiduus est vel interpolatus; certis præterea temporibus exacerbatur, aut eodem tenore furit, silet hic aliquando, modò tertia, modò quarta luce recursurus. Communem his variis motibus causam quæris, vitiosum argue sanguinem: Is à chylo vitiatur sæpiùs ut chylus à cibo si videlicet alimentum fuerit æstuosum nimis, si nimis sulphureum, consimilis futurus est chylus, hic fervidus fervidum efficit sanguinem, hinc illius augeri volumen, vasaque dilatari, hinc horrenda caloris atrocis seu incendii febrilis incrementa, hinc tumultus insolens. Si alimentum constiterit aliundè partibus ad motum aptioribus, motum motui, calorem calori, flammam flammæ adjunges. Proindè febricitantes offendit quidquid & fervidioribus & moveri facilioribus succis novum addit motus incitamentum. Id mali genus accersunt ova quovismodò parata.

IV.

CUJUS alimenti dotes probè noscere vis, hujus naturam scrutando experientiam sequere. Igneus est ovis calor ab origine, præfervidæ sunt animantes undè producuntur, actuosissima materies ex quâ conflantur. In ovi candido multùm salis est volatilis, in luteo multùm sulphuris: tenues illæ particulæ quæ priùs opprimebantur, intricabantur; jam liberæ, jam evolutæ, jam irato advectæ cruori, vim vi addunt, arma armis committunt; inde sanguis vehementer incitatus, febriles accendit aut alit igniculos. Demùm si turgeant ova succo nimiùm nutriente, succus hic officit febrici-

tantibus quos leve juvat alimentum ; hocque te monitum vult divinus Senex * τὰ μὴ καταρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν τρέψῃς μᾶλλον βλάψεις. Si fervidis ingeſta viſceribus in bilem faceſcant, hæc quoque bilis fomes eſt perigrini caloris, ſi retorreantur & indureſcānt ab æſtu ventriculi, velut ab igne focario, ſtatim vitellus flammam concipit, & fit oleum, mox exarſuræ febris irritamentum.

* Hipp. aph. x°. ſect. 2.

V.

ITAQUE ab alimentis ſucci vel nimii vel valentioris, abſtineant febricitantes, cibum ſuggerunt nimis robuſtum, nimis æſtuantem, unde præcipuè ab ovis caveto ; habes in ovis undè conciteris ad libidinem, ſed hæc libido quaſi febris eſt. Eſt in ovis & quod uberem provocat ſudorem, & quod externos digerit tumores: ſed hoc qualecumque ſit inſolenter commovet ſanguinem, renovatque flammas ; adeò multis ova conſtant ex partibus mole minimis, motu valentiſſimis ; ſi lenta, ſi craſſior aliundè ſit in ovis materia, ſuos illa ſales continet, ſuo fervet intus ſulphure.

Ergo noxia febricitantibus Ova.

Proponebat Pariſiis RAIMUNDUS DE LA RIVIERE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1729. à 6ª. ad merid.

Typis Viduæ J. QUILLAU, Univerſ. & Facult. Medicinæ Typogr.